



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

DXXXVI. Mathias von Jagow's Schwur als erwählten Bischofs von Brandenburg, vom Jahre 1528.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

**DXXXV. Der Erzbischof Albrecht bestätigt die Wahl des Mathias von Jagow als Bischofes von Brandenburg, am 8. Dez. 1527.**

Albertus, miseratione divina sacrosancte Romane ecclesie tituli sancti Petri ad vincula presbyter cardinalis, sancte Magdeburgensis ecclesie ac Moguntinensis sedis archiepiscopus, princeps elector, sacri Romani imperii per Germaniam archicancellarius et Primas, administrator Halberstadenfis, marchio Brandenburgensis, Stettinensis, Pomeranie, Cassuborum, Schlaworum dux Burggravius Nurnbergenfis ac Rugie princeps, venerabilibus devotis ac nobis in Christo sincere dilectis capituli Brandenburgensi salutem in domino. Hodie ecclesie vestre Brandenburgensi, per obitum bone memorie Theoderici, olim episcopi Brandenburgensis extra Romanam curiam defuncti, vacanti ac pastoris solatio destitute de persona venerandi ac magnifici domini Mathie in episcopum Brandenburgensem per vos rite, canonice ac nemine discrepante concorditer postulato, auctoritate nostra primaciali ac metropolitana, turbato Romane ecclesie statu et sanctissimo domino nostro Clemente septimo impedito ad occurrendum ecclesie vestre periculis, sub ejusdem sanctissimi domini nostri et apostolice sedis beneplacito providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis et concessis literis plenius continetur. Quocirca discretioni vestre mandamus, quatenus eidem Mathie episcopo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas ejus salubria monita et mandata suscipiatis humiliter, et efficaciter adimplere curetis; alioquin sententiam, quam Mathias episcopus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum in arce nostre solite residentie oppidi Aschaffenburgensis, diocesis nostre Moguntinensis, die octavo mensis decembris, anno a nativitate domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo.

Nach dem Originale.

**DXXXVI. Mathias von Jagow's Schwur als erwählten Bischofes von Brandenburg, vom Jahre 1528.**

Nos Mathias de Jagow, confirmatus in episcopum Brandenburgensem, notum facimus per has nostras presentes literas, quod nos omnes et singulos articulos infra scriptos conjunctim et divisim et eorum quemlibet tenere et observare debemus et volumus sub juramento prestito in omni forma hic infra scripta: Imprimis promittimus, quod nos officium nostrum ex parte nostri episcopatus in ordinario ecclesie Brandenburg. scripto, presertim in coena domini, in persona propria exercere et facere volumus, excepto tamen legitimo et notabili impedimento, quod nobis rationabile tunc videretur et appareret, volumusque, quando commode poterimus, presbiteratus ordinem celebrare et alia nostra officia episcopalia sine simonia agere vel legitime impediti, sicut premittitur, fieri et exerceri permittere vel disponere, volumusque et debemus ritus ecclesie ceremoniasque quotiescunque ecclesiam ingressi fuerimus in habitu, quem religiosum appellant, incedere et peragere; et quod nos volumus, Et presertim hoc periculoso tempore, parrochias nostras ecclesias et monasteria diocesis nostre Brandenburg. consilio



capituli nostri et si opus fuerit, etiam auxilio illustrissimi principis nostri electoris Brandenburgensis secundum possibilitatem nostram tam in spiritualibus quam in temporalibus reformare, hereses purgare et ne ingruant, quoad possumus, obistere et in visitationibus per nos aut nostros in spiritualibus vicarios corrigere et eliminare, secundum quantitatem delicti et qualitatem personarum, excessus malefacta et peccata eque ordinare et disponere omni anno rationes et computationes a monasteriis reddituum priorum perceptorum et expositorum, si commode fieri poterit. Item quod statuta et leges, que capitulum Brandenburg. pro reformatione capituli et membrorum ecclesie sue condidit et condet, quoad ceremonias, vestitum et incesum, reliquam vite honestatem tam in divinis quam extra et correctionem contra excedentes libere dispositioni et juri eorum relinquere debemus et volumus, neque quidquam contra eadem decernere aut tentare, nisi in corrigendis rebellibus ipsi auxilium et patrocinium nostrum invocaverint. Tunc etenim pro nostro officio generose et favorabiliter ipsis assistemus ita tamen, si capitulum post monitionem ordinarii infra spatium sex septimanarum excessus hujusmodi debite non correxerit, extunc devoluti sunt ad ordinarium pro tempore. Item promittimus et juramus, quandoquidem ecclesia Brandenburg. in grande pervenit detrimentum annuorum censuum et aere alieno per antecessores nostros conflato summe gravata est, quod nihil bonorum ecclesie, mobilium aut immobilium, feudorum ad nos devolutorum aut devolvendorum, vulgariter Angefelle gnant, aut quocunque nomine nuncupari possunt donare, vendere, impignorare, legare aut quovis alio nomine sine libera capituli voluntate alienare volumus, sed ad dissolutionem debitorum multiplicium nostrorum predecessorum et ad nostre mensis et curie honestam et moderatam conservationem reservare. Hujusmodi alienationem bonorum feudaliu[m], volumus quoque nostris vassallis interdictam interdicere et prohibere. Nostri etiam impensis a sede apostolica confirmationem pro nunc et isto calamitioso tempore ordinare et impetrare volumus ecclesiamque nostram pro eadem adipiscenda indemnem penitus servare neque clericos neque subditos nostros nova exactione gravare. Item volumus et debemus annis singulis sub festo divi Martini capitulo nostro libere et sine ulla contradictione quinque sexagenas marchiticas ex procuratione nostra episcopali, tres ratione centum florenorum, quos pie defunctus dominus Theodericus exemptionis titulo a capitulo sumpsit, exsolvere, duas reliquas sexagenas gratia argenteorum vasorum, ut puta: de duobus pelvibus argenteis et scutellis octo majoribus argenteis et tribus parvis scutellis argenteis, quibus quondam predecessores nostri usi sunt. Item debemus et volumus canonicorum nostrorum et confratrum jura et possessiones in omnibus eorum villis, agris et silvis, gurgustis, pratis, piscationibus, venationibus et omnibus eorum, quibus hucusque usi sunt, utuntur et uti poterunt, quibuscunque etiam nominibus nuncupari possint, in nullo penitus turbare, sed nos secundum eorum antiquiora jura fideliter et generose defendere nec rusticos aut subditos dominorum de capitulo in eorum limitibus in nulla servitute gravare. Item quod omnia et quecunque liquida et clara debita, que fuerunt per predecessores nostros quovis legitimo titulo contracta, volumus et debemus solvere, ecclesiam et diocesim nostram ab hiis juxta possibilitatem liberare et interim tamen annuos redditus de eisdem pecuniis debitis juxta continentiam literarum desuper confectarum ipsis creditoribus sine contradictione numerare aut numerari facere vel quovis bono modo eos quietare. Item quod in collatione prebendarum aut quorumcunque beneficiorum, in quibus capitulum jus habet conferendi, nos nulla via aut ratione nos interponere volumus aut debemus neque eos in libera collatione impedire, ita tamen, quod in antea quoad numerum et collationem prebendarum nos in futurum tangentium adheremus atque nos una cum capitulo Brandenburg. conformabimus concordie, facte inter episcopum Havelbergensem et capitulum ejusdem ecclesie, personatibus tamen, videlicet cantoria cum thesauraria de nostra dispositione manentibus, qui tamen nulli, nisi prebendato, secundum eadem debent conferri. Item nos non volumus neque de-



bemus nostros officiales seu officarios, clientes, prefectos, iudices, familiares vel quemquem ex parte nostra nosque in et contra nostros prepositum, decanum, prelatos, canonicos, vicarios ac dominorum et ecclesie ministros conjunctim vel divisim ullo modo manus extendere seu injicere capiendo aut alias violentiam inferendo facere et fieri permittere. Si autem cum ipsis aut ipsorum aliquo temporibus nostris aliquid agere aut causam et causas contra eos aut aliquem ex hiis habuerimus, hec debemus et volumus coram capitulo nostro aut arbitris ab utraque parte eligendis in jure et justitia experiri et expedire. Item quod ob calamitiosa hec tempora non volumus nec debemus preter consuetam procuracionem a spiritualibus et secularibus quippiam expetere, nisi id fiat cum consensu capituli, ita tamen, quod capitulum se favorabiliter ostendat in preveniendo, dummodo causa fuerit rationabilis, et ob multiplices rusticorum querelas temperabimus et providebimus, ne ultra modum graventur. Item quod nec de bonis aut testamentis canonicorum aut clericorum nostre ecclesie Brandenburg. ministrorum et aliorum ad predictos dominos canonicos pertinentium juxta bulle apostolice tenorem et ecclesiarum vicinarum cathedralium et collegiatarum consuetudinem quovis modo intromittere volumus. Item juramus quod neminem capitaneum, camerarium aut alium officialium aliter juramento astringemus, quam quod nobis et capitulo nostro etiam in eventu mortis nostre sede vacante sit obligatus. Item et singulos et omnes vassallos in simili eventu volumus obligari. Item nos non debemus neque volumus aliquem proviforem vel coadjutorem recipere vel alicui ecclesiam nostram dimittere, resignare, cedere aut permutare, nisi hoc fiat cum libero consensu capituli nostri. Item nos debemus et volumus nostrum prepositum et decanum, canonicos, capitulum et alios quosvis clericos nostre diocesis fideliter defendere et ipsis auxiliari manutenendo eorum decimas, census, debita et redditus, ubicunque illos et illa habuerint, pro posse nostro et si necessitas exegerit, auxilium illustrissimi principis pro ipsis invocabimus. Item vasa aurea, argentea ac quecunque ornamenta ad mensam et usum episcopalem pertinentia et mitram, pedum et alia episcopalia insignia, insuper imagines aureas, argenteas, pacificalia, calices, annulos, cruces aut quecunque alia clenodia quarumcunque ecclesiarum hujus diocesis Brandenburg. non debemus nec volumus alienare, mutare, transferre aut que publica sunt usui nostro privato aptare aut usurpare. Item nos non debemus neque volumus aliqua absolutione aut dispensatione uti nec in auxilium contra omnes et singulos supradictos articulos aut ipsorum aliquem specialiter, quomodo qualiter et unde ille nobis evenire seu ordinari possint, etiam a sanctissimo domino nostro papa aut aliis nostris superioribus spiritualibus aut secularibus, etiam motu proprio et cum censuris et poenis vel aliter, qualitercunque nobis venirent et darentur habere, sed nos hujusmodi articulos debemus in singulis eorum punctis perfecte et integre tenere et observare sine conditione et sinistra machinatione, reservata tamen nobis super his omnibus capitulo nostro moderandi relaxandi et interpretandi duntaxat voluntate.

Ego Mathias de Jagow, utriusque doctor, ecclesie Brandenburg. postulatus, consentio in his omnibus et singulis articulis supradictis sub juramento prefito, appenso sub sigillo, quod manu protestor propria.